

**Quaestio medica pro baccalaureatu : mane discutienda in almâ
Monspeliensium medicorum academiâ. / R. D. Petro Rideux ... praeside. ;
An alimentorum digestio tritus operâ. ; [Propugnabit Caesar Raphael
Durant ...].**

Contributors

Rideux, Pierre, 1674-1750.
Durant, César Raphael, active 1713.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspelii : Apud Honoratum Pech, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis typographum, 1713.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b9jfenvr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



COLENDISSIMO PATRI SUO
R A P H A E L I D U R A N T
 Doctori Medico

D. D. D.

Hoc primum Doctrinæ

J A T R I C Æ S P E C I M E N

In æternum amoris, gratitudinis, & obsequii monumentum

CÆSAR RAPHAEL DURANT Turonicus.

Q U Ä S T I O M E D I C A

PRO BACCALAUREATU MANE DISCUTIENDA

In almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ.

R. D. P E T R O R I D E U X

Professore Regio, Præside.

An Alimentorum digestio tritûs operâ.

I.

T OT olim in hâc exponendâ digestione invaluerunt opiniones, tot & adhuc ad nos usque pullularunt; ut longè minoris sit hodiè negotii, quid hâc in rô dictu sit optimum, proprio suo marte quærere, quia etiam

A

& iuuenire:: quām ex tot illis opinionibus unam feligere, quia vero p̄-
pior solidis innicatur argumentis, objectiones prævisas diluat, nulliusque
monfficiat satis expectationi. Nos idcirco, quos brevitati consulere juvat,
quid alii senserint cognoscere, quām perscrutari modum, quem in operan-
do natura servet, minus solliciti, aliorum mentes, quas jam exoletas,
cordatus nemo tueretur, ex industriâ præteribimus, ut in stabilendâ nostrâ
sententiâ toti nunc incumbamus. O utinam sic prætermitti posset tam to-
tièque decantata fermentatio! brevius opus nostrum spei nostræ melius
responderet. Sed quia viget hæc, suntque quām plurimi haud ignobiles,
qui ab illâ stare non dēdignantur, ne temerè nos gerere videainur, hic nos
decet paulisper immorari, cùm aliter ex hâc lite nos expedire nobis non
līceat. Ergo in arenam descendamus, & prius quām hâc de re mentem
nostram aperiamus, adversariorum mentem h.c libet excutere. Quām etenim
solidè stabilietur systema nostrum! si unica illa opinio, quæ nobiscum
decertare potest, victa ruat, & loco dejiciatur.

I I.

Fermentationis nomine nihil aliud intelligi voluerunt illius asseclæ, quām motum quendam partium insensibilium à causâ non manifestâ propter illam quæ inter illas reperitur hæterogenitatem, ita ut illius ope ingestî
cibi in partes abeant essentiales, quæ nutriendo corpori fiant dein idoneæ:
quasi rebus malè perpensis, idem nobis esse debeat utilitati, quod maximo
certè nobis esset incommodo. Sed cum alimenta digerere sit opus naturæ,
quæ valet optimè: ad hoc ut fermentatio suum huic operi symbolum con-
ferat, hanc & in statu naturali simul & semper adesse demonstrari necessum
est; aliòquin quamvis conjicere esset ab hâc unâ prænaturaliter digestio-
nem haberi, non solum illam non semper adesse probaretur, sed adesse
tantum in hominis pernicie. Verum hæc jam missa faciamus. Videamus
paucis, utrum hæc stare possit opinio, suas etenim leges habet Chymia,
quibus Chymica quæque debent opera conformari: cuinque hæc huic na-
tales præbuerit, quid mirum? si hæc nasei non potuerit, nisi legibus Chy-
micis conformata; saltè non debuit. Ast primò non est fermentatio, nisi
fermentorum ope; hoc ita receptum ab omnibus, ut nemini non probe-
tur: at in homine sano nulla fermenta sunt: facilius nodum in seirpo re-
perires, quām in illæso sanguine fermentum acidum. Hoc tamen unum est,
quo tām audacter cum musto fermentescente assimilatur. Vtūm ne gratis
hæc in medium afferre videamus, indigitemus paucis, utrūm in illo fer-
mentum illud reperiri possit, & debeat: reperiri non potest, quia si semel
adesset, tanquam causa fermentationem moliretur utpote effectum necessaria-
rium, quam tamen non præstat, ut inferius evincetur: sed insuper repe-
riri non debet, propter quod mediante fermentatione alimentorum prin-
cipia elicerentur, quod a naturæ scopo maximè devium, cùm corpus non
partibus eorumdem essentialibus, sed integrantibus tantum iisque minutissi-
mis enutriatur. Qnòd si lactis indolem sanguis referre credatur, saltem
quemadmodum lac naturaliter numquām fermentescit, sic & sanguis num-
quām debet naturaliter fermentescere. Sed licet hoc unico probaretur ar-

egumento fermentationem non datur, iuvat interius persequi, & vel in ipsius repagulis ipsum adversarium enecare. Quis neget necessum esse, ut vas, in quo materia fermentandi causâ reponitur, tranquille maneat, nec quibuscumque motibus agitetur? quis, inquam, neget, nisi rei Chymicæ sit undequaque rudis? nullum tamem in toto nostro corpore quod non continet vas moveatur. Sic vinum, si semper & indesinenter in motum agatur, numquam fermentationem initurum est. Numquid sanguis, de cuius fermentatione non solum non liquidò patet, quin & de cuius maximè dubitatur, fermentescet, dum alia fermentare non debent? quo jure? motus quilibet fermentationi nocet. Quantum motus circularis! quid ergo? si propter motum difficilis tantum fieret hæc jam laudata fermentatio, propter motum circularem fieret adhuc & impossibilis. Norunt insuper Chymici quâ arte materiis fermentescientibus vas aptent vacuum. Ibi cautela quâ nulla major, exigit hoc effervescentia in quam elevantur; nam timendum foret & meritò, ne vas rumpereatur continendis turgefactis materiis nondum capacius, & quis adeò in Anatome peregrinus, qui nefciat nullum corporis nostri vas non esse plenum. Hæc & similia rationum momenta quæ vel lyppis & tonsoribus nota sunt, à fermentatione deterrere debuissent Medicos illos, qui aliundè percelebres nomenque decusque gerunt.

I I I.

Vetum, quod eis fucum fecit, detegere non arduum, è longinquò rationes adducunt, quibus suam stabilire videantur opinionem, quæ rueret, & ruet, si attentè perpendantur: quare hic illas paucis non piget evolvere. Corpus à tempore fœtūs in virtutē grandem immensè crescere debet, quod, ajebant, integrantibus alimentorum partibus fieri nequit. Ubi enim eadem figura? Ubi eadem duties? Ubi denique, ut paucis complectar eadem qualitas? an panis V. G. si non in ventriculo fermentescat, sat dissolvetur, qui possit & os ossi se præbere indurescendum, & carnem carnī copulandam? an vervecina & alia cætera, quæ nobis sunt esui alimenta, si fermentatione præviā in partes essentiales priùs non abirent, ea possent evadere, quibus corpus omne nutritetur? Ergo necessaria fermentatio? Ergo minimè repudianda? quin inò cantè servanda, cum adsit: si abefset, promptius avocanda. Ea est quorumdam hominum indoles, ut, licet vix quicquam possint, se nihil non posse fidenter existiment. Digestio tritus operâ videtur illis impossibilis: ergo & reverà est, è contrà, adjuvare videtur illis fermentatio, ergo datur hæc. Obstant obices vix ferè superabiles, quid inquam, prorsus insuperabiles, nihil eos morabuntur, quales cumque sint, complanabuntur ad arbitrium; motus, nec esse motus definet, nec erit è loco in alium discessus, nec ullum certè fermentationi feret incommodum. Quod de motu, de quibusc libet aliis dictum esto, ubique etenim idem judicandi canon, idem ubique judicium. Ast quælaus? quæ paranda victoria? si hæc ipsa molimina, quibus sese quidam tanquam inexpugnabiles circumcinxerant, hæc irrita faciat vel ipsius rei ipsa nuda expositiō. Quæ turbæ! qui luctus! quæ lacrymæ! si fermenta loco pellantur, explodatur fermentatio deinde valere iussa, & veris nequaquam

4

ffictiis instrumentis perficiatur alimentorum digestio olim tam operosa, nunc vero tam facilis.

I. V.

Omnia quibus vescimur alimenta, ut potè quæ suo more vixerint, poros habent & organa nostris poris & organis parùm vel nihil diversa: hinc est, quod metalla, aliaque id genus, quia suâ pororum configuratione à nobis maximè, ne dicam, immensùm differunt, in nostri corporis nutrimentum nequicquam cedere possint, dum carnes, pisces, fructus, olera, ita facile in nostram substantiam commutantur, ut à quibusdam in corpore nostro reviviscere credantur. Hic saltem finis est, quò universi simul & singuli tendimus. Quidni feligemus, quæ cò conducunt, media è an licet hic Andabatarum more nos gerere? sed fallor. Natura sui propositi tenax & in eligendis viis quò cautor, cò doctior, tritaram adoptavit, respuit fermentationem. Felices! quòd se ludos fecerint quidam, si vera sensissent, niunum infelices! quot enim morbi nos invasissent! quemadmodum etenim vel mica acidi totam massam corrumpere potis est. Quid de nobis factum? vix vixissimus. Sed dira nimium, nimium & numeroña terris morborum incubuit cohors, non accedant, quos certè invehernet fictitia fermentatio. Idcirco valeat apud Chymicos, ne suis tumultibus nostram nostri corporis nimium heu fragiliorem cœconomiam turbet. Tantùm etenim abest, ut hæc in partes essentiales alimentorum divisio eujusdam nobis sit utilitatis, quin imò maximo nobis esset detimento. Sed hæc alibi, ad nutritionem potius hæc spectant, quād ad digestionem, quæ cùm nobis hic potissimum incumbat, de cā quoque nobis hic potissimum agendum. Dedimus fidem, datam jam liberemus. Cùm, ut ex jam dictis colligere est, hunc sibi finem natura proposuerit, ut alimentorum, quæ sumimus, particulis corpus cresceret, & nutritur; hanc sibi viam debuit eligere, quæ vasa, quibus alimenta constant, non destrueret; sed quæ in immensum ingesta dividendo, propriam nullius figuram inverteret, imò servaret attritus. Hinc expulsa & explosa fermentatio; sed & hinc tritus adoptatus, & reverâ: Quod medium fini magis efficax? fini magis accommodatum? Ori semel ad mota alimenta dentibus teruntur, & ne molam effugiant, obstat lingua frænum insuperabile, quæ rursus & iterum ea eidem molæ subdit semel & pluries clapsa, interim salivalis fons uberrimus effluit, qui intra particulas admissus eas distociat facilius dein dissociandas. Hoc huinore copioso protuta in Pharingem detrudunt musculi Pharingæi. Verùm hīc quoque conteruntur, cùm uon terantur nullibi: Peristole actio est circumpressoria. Premuntur devolvendo, & in stomachum devolutæ non ibi novam formam induunt partes integrantes; sed tantùm à se-se invicem disjunguntur, ita ut licet difunctæ, licet separatæ, figuram mutent, nec suâ tamen figurâ mutantur.

V.

Tria tritui necessaria sunt, liquor diluens, vis conterens, vas coercens. Quid horum hīc desideratur? nullum. Saliva diluit, ventriculus, qui idem

5

coeret, musculi faciem refert, & munus obit omnibus fibris simul & vicissim agentibus, ideo alimenta versat, miscet, attenuat; quin & è suo veluti fundo vires trahit, investit ipsum tunica interior rugis & tuberculis aspera, quæ suis rugis & tuberculis alimenta comminuit. Quot deinde modis commovetur! viden situm? viden partes quæ superincumbunt, quæ substernuntur, quæ latera circumvestiunt? ab illis omnibus vim & robur mutuatur. Et stupenda vis illa est, quæ ex tot et tantis viribus simul agentibus emergit. Quidam magni nominis medicus ventriculum vult motu reciproco donari, qui reverâ nihil aliud est, quam corporis cuiusdam itus, redditusque per eandem ultrò citròque viam; adeoque cum Diaphragma sutsum elevatur, & in illius cavitatem adigitur à musculis infimi ventris, tum illius illum arctè cingunt parietes, cumque verò complanatur idem Diaphragma, superincubit, & pondere suo viscera removet circumambientia: ita ut nullum sit omnino tempus quo non versetur ventriculus, non agitetur, non moveatur: & ex tot & tantis motibus, quid mirum, si tritus exurgat, quo possint alimenta in partes minimas atteri. Sed quidam germanicus Rei mechanicæ peritissimus quasdam trituratione regulas stabilivit, quibus omnibus si factum sit satis, tritus à nemine negari debet. Quapropter hic iis paucis libet inhærere, ut carum unicuique quam bene nostra congruat trituratione demonstretur. 1º. Sunt quædam, quæ non probeteruntur, nisi prius frustatum dissecantur. Hoc observatum in nostro quod tuemur systemate. Dentibus inciduntur alimenta, quæ non nisi minuta deglutiuntur. 2º. Quando conterenda materia resinosis partibus implicatur, calido mortario committi debet, deficeret aliter manca defectu caloris operatio; cui vitio precavet ventriculus eo calore donatus, quo majori vel solares dies non æstant. 3º. Quia quæ teri debent corpora, evolatis subtilioribus suis particulis, non perfectè tererentur, nisi liquor quispiam affunderetur, cuius ope dissociandæ partes à se-se invicem facilis amoverentur, & hoc mirè præstat hic ille fermenti stomachalis nomine jam adeo notus liquor, qui densioris perspirationis formâ è sexcentis tubularum orificiis in ventriculi cavitatem exoneratur. 4º. Ut non omnia cuique conveniunt, ita, ut tritura perficiatur, sunt quæ contundi debent, & quæ debent conquassari. Hoc ipsius ventriculi peristole facit, quemadmodum & illud exequuntur Diaphragmatis itus iterati, & muscularum abdominis. 5º. Invanum quorundam corporum trituram moliteris, nisi prius eorum massam limæ operâ minuisses. Quid quæris, quod hic abundè non sufficiat? num interioris tunice quæ rugæ prominent & tubercula id evincunt? tandem quoniam inter tot & tanta, quæ sumuntur, alimenta, quædam repætri possent, quæ suâ facilitori principiorum dissolutione salina possent evadere; ideo sulphurei quidam liquores admiscentur, quorum staminibus hæc eadem salia irretiantur. Sic lac quibusdam pulveribus ad nutritum oculorum copulatur. Hæc eadem in stomacho fiunt. Limpha illa, quæ nubis instar illius cavitatem opplet, hoc idem præstat: lactis naturam æmulatur, & sulphureis suis staminibus aculeos illos, si qui sint,

obtundere gestit. Si tot igitur, et tanta congruant. Num probatum faris quod probare contendimus?

V I.

Sej errorī, quantum intelligo, plerisque hoc ipsum est, quod modum, quo tritura perficitur, non satis perspectum habent. Decepit incautos nulli non notus frumenti tritus. Nam quemadmodum istud non teritur, nisi mola molæ superincumbens in motum agatur, quæ frumentum in medio stratum suis prominentiis contendat & conquasset: similiter tritum in stomacho non exerceri, ut potè quod molæ deficiant, contendunt pertinaces. Quàm planus, quàm supinus error! quàm manca cogitatio! quasi verò propterea quod hunc tantum modum, quod & falsum est, ars sedula cognoverit, alios nescire debeat arte longè perfectior natura. Huic viderentur injurii, si non in ipsis recideret aberratio. Daretur hoc rusticis, Philosophis nequaquam ignoscendum. Multiplex tritus multiplicis generis admittit instrumenta; quæ tamen omnia ad molas reduci possunt, & reducuntur. Aliæ etenim sunt asinariæ: aliæ verò Philosophicæ, seu animatae. Illas quia vulgares quis ignorat? at hæ quia delitescentes in ipsius naturæ operibus paucis tantum innotescunt; et de his hic agitur. Quàm mirè subserviunt! quidni? nihil non faciunt. Expendat attente, qui scire voluerit, quàm bene convenient, quæ jam assignavimus instrumenta. Si promissis fides, hanc liberabit prosper exitus, & forsan stupefactus lucè meridianâ clarius perspiciet alimentorum digestionem tritu semper inchoari, tritu semper fieri ' nec-non tritu semper perfici.

ERGO Alimentorum digestio tritus opera.

DIPUTATURI

PROFESSORES REGII

R. D. Franciscus Chicoyneau <i>Can-cellarius</i>	✠ R. D. Antonius Deidier.
R. D. Joannes Chastelain <i>Decanus.</i>	✠ R. D. Antonius Magnol <i>Patris Coadjutor.</i>
R. D. Joannes Bezac.	✠ R. D. Chastelain <i>Patris Coadjutor.</i>
R. D. Petrus Chirac.	

Doctores Aggregati.

R. D. Joannes H. Haguenot.	✠ R. D. Henricus Haguenot <i>Patris Coadjutor.</i>
----------------------------	--

Doctores Ordinarii

M. Mauritius Peterin.	✠ M. Eustachius Marcot.
M. Bartholomæus Pascal.	✠

Propugnabit CÆSAR RAPHAEL DURANT *Turonicus Artium Liberalium Magister & Jamdudum Medicinae Studiosus*, ab horâ octavâ ad speridiem, die 24. mensis Martij 1713.

MONSPELII, Apud HONORATUM Pech, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographum 1713.